CURIOSITAS ARITHMETICA, SIVE' PARALLELUM INTER TRIGINTA-QUINQUE MISSIONARIOS IN...

Digitized by Google

LUCERNA autem impiorum extinguetur. *Prov. c.* 13. *v.* 9.

Digitized by Google

CURIOSITAS ARITHMETICA,

SIVE

PARALLELUM

Inter triginta-quinque Miſſionarios in Hollandia lapſos, & præciſè triginta-quinque Neſtorianos in Concilio Epheſino Generali deficientes atque damnatos.

NOtiſſimum eſt, quòd Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Colonienſis Nuntius Apoſtolicus, invenerit quoſdam in Hollandia Miſſionarios ab Eccleſia deficientes, eoſdemque declaraverit tamquàm *nullam omninò Eccleſiaſticæ Communionis facultatem habentes, ut ex authoritate Sacerdotali cuiquam nocere, vel prodeſſe poſſint.*

Eſt etiam notiſſimum, quòd præfati Miſſionarii deficientes, varias proteſtationis tabulas ediderint, propriiſque nominibus ſignaverint, & quòd ſignantium, ſivè proteſtantium numerus præciſè inveniatur eſſe triginta quinque.

Cauſa hujus defectionis ſivè lapſûs primaria eſt, quia *cùm primis Janſenii ſequi ſententias manifeſtè in eo ſunt deprehenſi, quòd quinque Ianſenii Propoſitiones nobiſcum condemnare noluerunt*, nimirùm tamquàm Janſenii, ſivè Libri ejus, & in ſenſu ab ipſo intento.

Atqui in Concilio Generali Epheſino quod anno 430. celebratum fuit, Concilii Patres invenerunt deficientes præciſè triginta quinque, quos ſuis nominibus expreſſerunt, & declaraverunt in verbis: *Hi nullam omninò Eccleſiaſticæ Communionis*

Digitized by Google

facultatem habentes, ut ex auctoritate ſacerdotali cuiquam nocere, vel prodeſſe poſſint, propterea quod etiam quidam ex ipſis ſunt depoſiti, cùmprimis Neſtorii & Cæleſtii ſequi ſententias manifeſtè ex eo ſunt deprehenſi, quòd Neſtorium nobiſcum condemnare noluerunt: quos Sancta Synodus communi Decreto ab omni Eccleſiaſtica Communione alienos eſſe ſtatuit, & omnem ſacerdotii efficaciam illis ademit, per quam aliquibus vel nocere, vel prodeſſe poterant.

Vera Curioſitas Arithmetica. Verum Parallelum inter numerum & numerum, inter cauſam & cauſam, & inter proſcribendi modum, & modum. Erunt qui hoc caſui fortuito adſcribent: Viris autem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aſſuetis, erit difficile creditu, quòd nihil Providentiæ ad tantam concordantiam concurrerit. Quin etiam non pauci benè ominabuntur, quòd cauſa Miſſionariorum lapſorum, in bonum Eccleſiæ finem, Neſtorianorum exemplo, quos totus tandem mundus deſeruit, ceſſura ſit.

VERBA CONCILII EPHESINI.

PROOEMIUM.

„ Defecerunt quidam à nobis numero paulò plus triginta, „ defectionis ſuæ anteſignanum *Ioannem* Antiochenum Epiſcopum habentes. Horum nomina hæc ſunt. Primus ipſe *Ioannes* Antiochiæ Syriæ Epiſcopus, (2) *Ioannes* Damaſci Epiſcopus. (3) *Alexander* Apamiæ, (4) *Alexander* Hierapolis, „ (5) *Himerius* Nicomediæ, [6] *Fritilas* Heracleæ, [7] *Helladius* Tarſi, (8) *Maximus* Anazarbi, (9) *Dorotheus* „ Marcianopolis, (10) *Petrus* Trajanopolis, (11) *Paulus* „ Emiſæ, (12) *Polichronius* Heracleopolis, (13) *Eutherius* „ Tyanenſium, (14) *Meletius* Neocæſarienſis, [15] *Theodoretus* Cyri, [16] *Apringius* Chalcidis, [17] *Macarius* „ Laodiceæ magnæ, (18) *Zoſys* Esbuntis, [19] *Salluſtius* „ Coryci Ciliciæ, [20] *Heſychius* Caſtabalæ Ciliciæ, (21) *Va-*

„ *lentinus* Mutlobacæ, [22] *Euſtachius* Parnaſſi, (23) *Phi-*
„ *lippus* Theodoſiopolis, (24) *Daniel*, (25) & *Dexianus*,
„ (26) & *Iulianus*, (27) & *Cyrillus*, [28] & *Olympius*,
„ [29] & *Diogenes*, (30) & *Palladius*, [31] *Theophanes*
„ Philadelphiæ, (32) *Tarianus* Auguſtæ, (33) *Aurelius* Ire-
„ nopolitanus, [34] *Muſæus* Aradi, (35) *Helladius* Ptolo-
„ maïdis. Hi nullam omninò Eccleſiaſticæ Communionis facul-
„ tatem habentes, ut ex auctoritate ſacerdotali cuiquam nocere,
„ vel prodeſſe poſſint, propterea quòd etiam ex ipſis ſunt de-
„ poſiti, cùmprimis Neſtorii & Cæleſtii ſequi ſententias mani-
„ feſtè ex eo ſunt deprehenſi, quòd Neſtorium nobiſcum con-
„ demnare noluerunt: quos Sancta Synodus communi Decreto
„ ab omni Eccleſiaſtica Communione alienos eſſe ſtatuit, &
„ omnem ſacerdotii efficaciam illis ademit, per quam aliqui-
„ bus vel nocere vel prodeſſe poterant. „

NOMINA triginta-quinque Miſſionariorum lapſorum, qui ſuas reſpectivè proteſtationes ſignaverunt.

1 Jacob van Catz. (2) Cornelis Stakenburg. (3) Cornelis Velthuyſen. (4) Petrus Hollen. (5) Matthias Tork (6) Antonius Schade. [7] Martinus van Hees [8] Joannes Henricus Hanſen. (9) Jacobus t'Sul. (10) Guilielmus de Prater. [11] Gabriel Prauwels. (12) Lucas Ahuys. (13) Joannes van Neck. (14) Daniel Meynaerts. (15] Joannes van Heumen (16) Jacobus Krys. (17) Hugo van Heuſſen. (18) Theodorus Verhoog. (19) Joannes Chriſtianus van Erckel. (20) Matthias Ooſterling (21) Timotheus Hettema (22) Paulus Roskam. [23] Petrus van Cuyck. (24) Jacobus Timmer. [25] Willebrordus Weitmans. [26] Guilielmus van Daelenoordt. [27] Theodorus Vanderkroon. [28] Petrus Tyboſch. [29] Joannes Pruym. (30) Arnoldus Judocus Sligterman. (31) Sebaſtianus Wervel. (32) Hildebrandus Vanderwiel. (33) Joannes Tibbel. (34) Henricus Lanſing. [35] Godefridus Valkenburg.

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Non intendimus tamen per hoc Parallelum inter triginta-quinque Neſtorianos lapſos, & inter triginta-quinque lapſos Miſſionarios omnimodam paritatem ſtatuere: Ex Hiſtoria enim Eccleſiaſtica, quæ de rebus præteritis fidem facit, abundè conſtat, quòd licèt plerique iſti Neſtorianæ hæreſis Anteſignani ſub fictitia ſanctitatis externæ, quam ad fallendum populum Chriſtianum præ ſe ferebant, ſpecie, ſuperbientes in hæreſi inſorduerint; aliqui tamen ex illis, qui animoſitate victi fuerant, divinâ gratiâ moniti atque commoti reſipuerint, pœnitentiam egerint, humilemque delictorum ſuorum exhomologeſim, id eſt confeſſionem publicam fecerint, & ad Eccleſiam Catholicam ſalubriter redierint. Erit nunc triginta quinque Miſſionariorum lapſorum officium, factis Chriſtianis Hiſtoricos docere pro futuro, quidnam poſteà de ipſis ſcribendum ſit.

Erit etiam aliorum tum Bruxellis, tum Lovanii, tum alibi in iiſdem fæcibus defixorum memorari noviſſima ſua quæ contra quemdam Doctorem Romano-Catholicum malè ſparſerunt, fingentes illum deſiderantem exemplum ſtatuere, anno 1697. in Hollandiam profectum fuiſſe ut viſitaret, & phantaſticos Janſeniſtas quæreret. Fictioni addebant ſcomma, inſultantes, exprobrantesque quòd iviſſet cum LUCERNA, ſed deficiente lumine neminem inveniſſet. Quàm verò non fuerit Diogeni opus LUCERNA, ut tales in medio die homines quæreret, victrix experientia demonſtrat. Expendant nunc igitur iſtud Sophoniæ: *Et erit in tempore illo: ſcrutabor Hieruſalem in* LUCERNIS: *& viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* C. I. v. 12.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google